VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM,

ET SCRIBANIA IOANNIS MICHAELIS de Samper, Scribæ principalis illius habito, & actitato,

INTITVLATO

PROCESSVS EGREGII DON ALFONSI FERNANDEZ DE YXAR, COMITIS DE BELCHITE, & Domni Augustini Terrer de Valenzuela, Diputatorum Regni Aragonum,

SVPER

Manifestatione eorum personarum.

IN Processu & causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonum, habito, & actitato, intitulato Processus Egregij Don Alfonsi Fernandez de Yxar, Comitis de Belchite, & Don Augustini Terrer de Valenzuela, Dipputatorum Regni Aragonum, super manifestatione eorum personarum: interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curiæ Illustribus Dominis Michaele Thoma Secanilla, Hieronymo Garcia de Benabarre & Prat, Hieronymo Torrero & Embun, Didaco Canales, & Ioanne Chrisostomo de Exea, Locumtenentibus Illustrissimi Domini Don Augustini de Villanueua & Diez, militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum: Existenteque dicto, & præintitulato processu in deliberatione, super annullatione cuiusdam pronuntiationis, seu sententiæ, in eodem prolate. QVATVOR ex dictis Dominis Locumtenentibus fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & annullare pronuntiationem, seu sententiam sub die vigesimo nono mensis Octobris anni millesimi sexcentesimi trigesimi tertij latam, & cum his mandare liberare personas Egregij Don Alfonsi Fernandez de Yxar Comitis de Belchite, & Don Augustini Terrer de Valenzuela principalium Nicolai de Sepulbeda, Petri Iosephi de los Bayos, & Clementis Ludouici Gil procurato-

rum à captione,qua INDEBITE detinentur neutram partium in expenſis condemnando, cætera ſupplicata locum non habere. ET tres ex dictis Dominis quatuor Locumtenentibus fuerunt ſupradicti voti, ex motiuis ſequentibus. EX EO, & aliàs, quia ex deductis, & probatis in proceſſu conſtat Theſaurarium Generalem Maieſtatis Domini noſtri Regis per Regiam Audientiam præſentis Regni appellitaſſe, mediante appellitu captionario, & executorio de perſonis dictorum Egregij Don Alfonſi Fernandez de Yxar, Comitis de Belchite, & Don Auguſtini Terrer de Valenzuela principalium dictorum procuratorum, ſub qualitate Diputatorum præſentis Regni Aragonum, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſecundi, prætextu negligentiæ in exactione ſeruicii regalis,conceſsi per dictum Regnum in vltimis Curijs, & ſecundum Foros, & Obſeruantias eiuſdem Regni, à quibus recedere non licet, Dominus noſter Rex (ſalua Regiæ Maieſtati debita ſemper fide, ac reuerentia ſeruata) non poteſt conſtituere in præſenti Regno plures procuratores Fiſcales, ſed tantum vnum poteſt facere, qui tàm in agendo, quàm in defendendo faciat partem,ac per conſequens dictus Theſaurarius Generalis nullam potuit exercere actionem pro Domino noſtro Rege,ſicque dictus appellitus captionarius deficit in ſalutari, cum non ſit prouiſus ad partis legitimæ inſtantiam, quia pro iuribus regalibus ſolum agere poteſt Procurator Fiſcalis. Neque obſtat Forus anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi ſecundi, ſub Rubrica *De la exaction de las Rentas y drechos Reales*, vbi eſt diſpoſitum, quod Theſaurarius Generalis recipiat iura in dicto Foro expreſſa: ergo dictus Theſaurarius fuit pars legitima ad obtinendum præſentem appellitum,cum in eo agatur de recuperatione iuris regalis. Nam reſpondetur dictum Forum declaraſſe taxatiuè, quæ iura exigere debeat dictus Theſaurarius Generalis, nempe, *los derechos de las Cenas, de Abſencia, Alimentacion, Primogenitura, y Cauallerias*, ſicque ad alios caſus nullatenus protrahi poteſt; Secundo, quia in dicto Foro, ſolum eſt diſpoſitum, quod in contumatiam obligatorum, in non ſoluendo iura in eo expreſſa in præſenti Ciuitate contra illos executio priuilegiata fiat, ſed ad cuius inſtantiam, id fieri debeat Forus omiſsit. Qua propter, recurrendum eſt, ad diſpoſitiones aliorum Fororum, ſcilicet, quod fiat ad inſtantiam Procuratoris Fiſcalis, quia ſolus iſte cognitus eſt per forales diſpoſitiones ad agendum, vt recuperentur Regia, & patrimonia iura. Deficitque etiam prouiſio dicti appellitus ob defectum Iudicis, quia Regia Audientia eſt Iudex incompetens ad illius prouiſionem diſpoſitum enim eſt, ad conſeruationem totius Regni, & vt magis creſceret amor,obedientia,& debita Aragonenſium fidelitas, erga ſuos dilectiſsimos Reges, quod Magiſtratus Iuſtitiæ Aragonum eſſet Iudex, in cuius Tribunali agerentur omnes cauſæ, tàm in agendo, quàm in defendendo inter Regiam Maieſtatem, & ſu os ſubditos, quod eſt, iteratis vicibus diſpoſitum, verbis taxatiuis, tàm per Foros,& Obſeruantias noſtras, quàm per noſtrates, vnum caſum tantum excipiendo à præſenti generali regula videlicet,quando Procurator Fiſcalis, non principaliter, ſed adhęrendo, vel ſe opponendo in aliquo proceſſu facit partem, quia tunc, non ſolum in præſenti Curia Domini Iuſtitiæ Aragonum, ſed in qualibet alia poterit conquęri, & iſto caſu excepto, in omnibus aliis Procurator Fiſcalis, tantummodo in præſenti Curia poterit facere partem. Ex quibus liquidiſsimè apparet, dictum appellitum prouiſum per Regiam Audientiam fuiſſe nullum, & nullitatem expreſſam continere, tàm ob defectum iuriſdictionis in Iudice illum prouidente, actionis,& obligationis, quàm ob defectum partis non legitimè, ac per conſequens, nulliter contra tot expreſſas diſpoſitiones forales fuiſſe prouiſum, & meritò, dum requiſita fuit Regia Audientia per appellitatos, incontinenti, dum ei oſtenſum fuit de dictis nullitatibus, præcipuè, cum præſenta-

ſentatione Iurisfirmæ obtentę per captos à præſenti Curia, & cum ei non obſtaret tenebatur illum reuocare, ſeu annullare, & captos relaxare,& in ſuam naturalem libertatem reſtituere,cum prædicta captio fuiſſet facta, contra notorias diſpoſitiones forales, vt dictum eſt. Nam ſicut Regia Audientia, minus cordatè, prouiſionem de capiendo fecit, debuiſſet requiſita, cautius agendo incontinenti captos liberare, & ideo in eius renitentiam, in non liberando prædictos captos, meritò confugiſſe ad proceſſum manifeſtationis cum dictis nullitatibus præfati appellitus ad tutiſsimum refugium præſentis Curiæ,vt eos liberaret à captione, qua indebitè, & nulliter detinentur, in quo proceſſu, & nullitatibus capturæ, in eo allegatis fuit ſubrrogata præſens Curia Domini Iuſtitiæ Aragonum,in locum Regiæ Audientiæ, vt in dies fit, abſque vlla dubitatione, in ſimili manifeſtationis proceſſu, quando captus pro debito Ciuili offuſcato,& Iudex capturæ cognoſcendo de offuſcatione debiti pro quo eſt captus, requiſitus vt eum ſub fideiuſſoribus relaxet, cum debitum, ſit offuſcatum, renuente cum relaxare, in proceſſu manifeſtationis Iudex illius cognoſcendo de huiuſmodi debiti offuſcatioue, ſi ei viſum fuerit debitum eſſe offuſcatum quotidie eum ſub fideiuſſoribus relaxat, non alia ratione, niſi, quia ſubrrogatur Iudex manifeſtationis in locum Iudicis capturæ, & ideò, ſicut Regia Audientia poſt prouiſionem appellitus, incontinenti, vt ſupplicatum fuit annullari per dictos captos, tenebatur eum annullare ob dictas nullitates in eo contentas, & eos liberare à captione qua indebitè detinebantur, eodem modo præſens Curia ſubrrogata in proceſſu manifeſtationis, in locum Regiæ Audientiæ, tenetur annullare ſententiam, denegationis dictorum captorum, prout annullandam eſſe cenſemus, maximè cum præſens Curia Domini Iuſtitiæ Aragonum, ſit Iudex oppreſſorum, & grauatorum contra Foros, & libertates Regni. Nec inferatur, quod proceſſus manifeſtationis, de quo eſt præſens ſermo non videtur eſſe, ſubiectum capax, ad liberandum captum cum eius principalis finis videatur deſeruiſſe, ad hoc vt perſona capta, dum agitur de ſua cauſa iuridice, & foraliter, non patiatur iniuſtè, & de facto. Nam reſpondetur, quod licet finis manifeſtationis perſonæ ſit præfatus, & ex ſe, non liberet, attamen ſi in proceſſu manifeſtationis adiungantur, aliqua incidentia nullitatis capturæ, vt in præſenti caſu, illa ſunt quæ liberant captum, non manifeſtatio, ſicut ſcripturarum manifeſtatio, finis principalis illius eſt, eas exhibere,& habere cuſtoditas, ne ſurgificentur, at ſi aliqua incidentia ei iungantur, in dicto proceſſu, vt pluries fit, mandatur nota manifeſtata ingroſſari,& reparari, & alia huiuſmodi fieri. Neque obſtat ſi obijciatur, quod in huiuſmodi denegatione prædictæ liberationis non poteſt conſiderari nullitas, cum captura ſit ob cauſam ciuilem, & in limine illius, non fuerit præſentata Iurisfirma, in quo caſu tantum videtur prouidere liberationem in proceſſu manifeſtationis ob debitum ciuile, ex Foro quarto de manifeſtatione perſonarum, ex relatione ad caſus Fori tertij dicti tituli, cum dictionibus taxatiuis, ibi: *Que en el proceſſo de la manifeſtacion, no ſe pueda proceher, ſino en los caſos en el precedente Fuero contenidos, è a los efectos, en aquel contenidos*, cum dictione, *no*, & niſi iunctis verbo, *pueda*, ſint limitatiuè, & abdicatiuè facultatis in contrarium. Nam reſpondetur,quod licet, fateamur, quod prædicti Fori tertius, & quartus de manifeſtationibus perſonarum, ſolum loquantur in captis caſibus, & proceſsibus criminalibus, vt inſinuatur in dicto Foro tertio,in ſuo prohemio, ibi: *E que los maleficios verdaderamente cometidos, por multiplicacion de manifeſtaciones de los cometientes, no ſinquen impunidos*, eſt aduertendum, quod vſque ad annum milleſimum quatuorcenteſimum ſexageſimum primum, in quo fuit factus dictus Forus tertius per Sereniſsimum Dominum Regem Ioannem Secundum, & vſque ad annum milleſimum quingenteſimum vigeſimum octauum, in quo Sereniſsimus Rex Ferdinandus Secundus fecit Forum, ſub titulo, *De modo, & forma procedendi in criminalibus*, præſens Curia per firmam, &

 mani-

manifestationem personarum cognoscebat, in causis criminalibus, & captus manifestatus procedebat in eis in præsenti Curia, secundum modum, & formam tradditam in Foro quinto, dicto titulo, *De manifestatione personarum*, & cum visum fuerit,quod abusus multarum manifestationum damnum inferebat bonè, & rectè administrationi iustitiæ in casibus criminalibus in dicto anno millesimo quatuorcentesimo sexagesimo primo, conditi fuerunt, dicti Fori tertius, & quartus de manifestatione personarum, vt processus manifestationis in illis casibus tantum posit procedere ad liberationem promptam, & breuem, absque eo quod processus illius ab inde feratur, per modum, & formam contentam in dicto Foro quinto, & in Foro, *E porque*, de Procuratoribus Astricti, anni millesimi quingentesimi decimi, iam reperiuntur casus vltra numeratos in dicto Foro tertio de manifestatione personarum ad eundem effectum, de quo in dicto Foro tertio, postea conditus fuit Forus, De modo,& forma procedendi in criminali, anni millesimi quingentesimi vigesimi octaui,& ab hinc cessauerunt supradicti Fori, videlicet quoad cognitionem præsentis Curiæ de causis criminalibus, vt antea cognoscebat,sine vlla distinctione per modum Iurisfirmæ, & manifestationis, & solum remansit post supradictum Forum,præsenti Curiæ, cognitio in causis criminalibus, cum aliqua qualitate per viam nullitatis, ex quibus non est cogitandum prædictos Foros tertium,& quartum de manifestatione personarum loquutos fuisse, de liberatione priuilegiata,nec simplici in causis ciuilibus, nec coangustasse vim, dictarum liberationum, nec effectus manifestationum, & incidentium illius, & ita referre aliquos Foros, & Foristas casus criminales liberationis priuilegiatę, & asserere,quod solum in illis procedit, potest intelligi, illa taxatiua, *sino*, de illa qualitate, & specie criminalium de quibus loquntur, & non generaliter, nam casus exceptus semper intelligitur,& declarat dispositionem, in illa materia,& nunquam exceptio comprehendi, nisi illud, quod est de genere suæ regulæ,& cum his cessat dubitatio quantum ad casus ciuiles, qui remanent in terminis simplicibus Fori, absque contradictione, nec limitatione forali casuum criminalium, & ex his satis apertè colligitur liberationem in processu supplicatam esse consonam dispositionibus foralibus, & consequenter rectè, consuluisse nostrates in Foris versatos, quod si aliquis est captus sine causa, & debita solemnitate, vt se faciat manifestari per præsentem Curiam Domini Iustitiæ Aragonum, & per hunc medium restituetur, suæ pristinæ libertati, ita vt cum effectu à carcere liberetur, vt pluries apparet in quam plurimis exemplaribus, in processu manifestationis, & in captis ob causam ciuilem factum fuisse,& rectè, de quo non est hæsitandum. Vnde cum ex supradictis omnibus resultet,denegationem liberationis personarum Egregij Comitis de Belchite, & Domni Augustini Terrer de Valenzuela, factam fuisse contra forales dispositiones,& vt dicitur contra iura constitutionis, quæ concedunt prædictam liberationem in processu manifestationis, meritò dictam pronuntiationem, seu sententiam annullandam fore,& esse censemus ex hijs,& alijs Attent. content.

ET VNVS ex dictis tribus Dominis Locumtenentibus addendo his motiuis superiùs insertis, fuit etiam ex sequentibus. EX EO, & aliàs quoniam ex deductis,& probatis in processu resultat,quod Illustris Regens Regiam Cancellariam nullo modo potuit prouidere appellitum captionarium contra personas Egregij Comitis de Belchite Domni Alfonsi Fernandez de Yxar, & Nobilis Domni Augustini Terrer de Valenzuela,& aliorum Dipputatorum Regni Aragonum ex defectu iurisdictionis, cum secundum Foros huius Regni,causæ Maiestatis Domini nostri Regis tractari non possint, nisi coram Domino Iustitia Aragonum,qui solus, & non alius est Iudex competens ad eas decidendas, & declarandas,ex quo sequitur, quod hæc Curia Domini Iustitiæ Aragonum, vt habeat cognitionem in hac causa, in qua solum,de interesse Domini nostri Regis agitur, non est necessum, quod ad eam deuoluatur cognitio per viam electio-

electionis Iurisfirmæ, cum imò peculiariter, & priuatiuè, ad illam ſpectet ex natura ſua taliter, quod ſpectare illum recurſum, eſt per indirectum approbare iuriſdictionem prouidentis appellitum in præiudicium iuriſdictionis huiuſmodi Curiæ Domini Iuſtitiæ Aragonum, quæ non in ſecunda inſtantia, ſed in prima habet iuriſdictionem, & ei tribuitur à Foro, quod nefas eſſet in hoc caſu, tàm notorio, & claro, cum Iudex non debet patienter ferre, ſuam iuriſdictionē vſurpari, ſed tenetur defendere. His accedit; quod cum electio Iurisfirmæ ſit ſpecies appellationis á ſententia lata per Iudicem incompetentem, non eſt neceſſe illam interponere quemadmodum à ſententia nulla, non eſt neceſſarium de iure prouocare, ideò ad alium remedium recurri poteſt, quod cum in noſtro Regno, inter alia hoc habeamus præcipuum, ſcilicet priuilegium manifeſtationis, quod introductum fuit, ne Regnicolę, ex abrupto, & abſq; cognitione cauſæ lederentur in perſonis, & contra Forum non eſt incongruum, quod per hanc viam manifeſtationis conentur liberari hij capti, ab indebita, & nulla carceratione prouiſa per Iudicem incompetentem, qui cum non habeat cognitionem in ea, ex abrupto, & contra Forum neceſſariò procedere cenſetur. Neque obſtat quod ex aduerſo obijci poteſt, ſcilicet, quod hic proceſſus manifeſtationis nō eſt capax, vt in eo agatur, & cognoſcatur de nullitate huius prouiſionis, cum ſecundum Foros noſtros præcipuus finis illius ſit perſonam in tuto ponere. Quia reſpondetur, quod ſecundum noſtros antiquos practicos, quibus multum in hijs indulgendum eſt, manifeſtatio in hoc Regno introducta fuit, ad inſtar interdicti, de liberis hominibus exhibendis, & deducendis, in quo duo reperiūtur ſcilicet, exhibere, id eſt, in poſſe Iudicis ponere & deducere, hoc eſt, experiri cū notione Iudicis, hoc idem in hoc Regno ſeruatur, nam primò manifeſtatur perſona, & in loco tuto ponitur, & quod hoc facto agitur de ſecundo, ſcilicet, de deductione, & quod hæc deductio conſiſtit, in eo quod manifeſtatus poſtea prætendit, quod poteſt eſſe, ex varijs figuris cauſarum, hoc ſuppoſito, quis inficiari poteſt, quod in hoc proceſſu manifeſtationis, non ſit capacitas ex ſua natura ad cognoſcendum de alijs rebus, quæ poteſt prætendere manifeſtatus, niſi in caſibus in quibus per Foros noſtros expreſsè prohibitum fuerit, qua propter cum inter eos non reperiatur hic caſus exceptus, cur ſtare prohibebitur? Neq; per Forum quartum, titulo de manifeſtationibus perſonarum hoc interdictum eſt, quia vt ex illo clare colligitur, non loquitur niſi in cauſis criminalibus, quapropter huic caſui applicari nequit, hijs, & alijs, moti ſumus ad annullandā ſupradictam pronuntiationem, & ſententiam, & liberandum prædictos captos à carceribus, in quibus nulliter detinentur, & aliàs Attent. cont. ET VNVS ex dictis quatuor Dominus Locūtenentibus fuit ſupradicti voti ex motiuis ſequentibus. EX EO, & aliàs annullatur prædicta ſententia, ſeu pronuntiatio, quia ex deductis in proceſſu conſtat, Egregium Don Alfonſum Fernandez de Yxar, & Don Auguſtinum Terrer de Valenzuela, in legitimo, & adęquato proceſſu manifeſtationis, ſcilicet petijſſe, vt à carcere, in qua INDEBITE erant detenti liberarentur. Præſens enim Curia manifeſtatione mediante, ſubrogatur in locum Iudicis à quo, & quemadmodū Iudex à quo tenebatur prædictos captos liberare, quia turbato iuris, & Fori ordine, eos in vinculis mancipabat, eodem modo præſens Curia Domini Iuſtitiæ Aragonum, quę eſt vindex injuriæ, & violentiæ præſidiū; Portus periclitantium, libertatuum defenſor, columen, & protector, & denique oppreſſorū præſidium, ſecundū noſtros practicos, tenebatur eos liberare, erant enim capti contra clara, & indubitata iuris & Fori principia, & per conſequens contra ius conſtitutionis, ſicq; in dicta denegatione liberationis non fuit ordo iuris ſeruatus: etſi ſententia, quæ ex aliquo defectu eſt nulla, non dicitur ſententia, nec ſententiæ nomen meretur multo magis prædicta pronuntiatio, contra tot Foros, & Obſeruantias huius Regni lata, venit annullanda prout annullatur. Mandamus inſuper liberare dictos Egregiū Don Alfonſum Fernandez de Yxar, & Don Auguſtinum Terrer de Valenzuela manifeſtatos, principales dictorum

Procu-

Procuratorum à captione, qua indebitè detinentur,quia erant capti ad instantiam partis non legitimè, cum pro iuribus regalibus, solum agit Procurator Fiscalis Maiestatis Domini nostri Regis,non verò,eius Thesaurarius Generalis iste enim nullam potest in iudicio actionem experire, quia solus Procurator Fiscalis cognitus est,per forales sanctiones ad recuperanda Regia,& patrimonialia iura insuper erant capti à Iudice incompetenti, Regia enim Audientia erat Iudex incompetens ad prouisionem appellitus,quo mediante erant in carcere detenti,quia Procurator Fiscalis coram Magistratu Iustitiæ Aragonum,qui est Iudex medius tantummodo potest agere principaliter,tàm in agendo,quàm in defendendo, omnesq; causas inter Regiam Maiestatem, & suos subditos coram ipso tractare debet,quod quidem dispositum est per nostros Foros,& Obseruantias Regni,vt videre est,apud nostros Foristas.Hijs igitur causis,& rationibus,in iure Foroq; consistentibus, alijsq; fundamẽtis consultò omissis censemus liberandos esse,& aliàs Attent.content. ET ALIVS Dominus Locumtenens fuit voti,& opinionis, quod debet pronuntiare annullationem, & alia supplicata pro parte Egregij Don Alfonsi Fernandez de Yxar Comitis de Belchite,& Dñi Augustini Terrer de Valenzuela,principalium Petri Iosephi de los Bayos,Nicolai de Sepulbeda,& Clementis Ludouici Gil procuratorum locum non habere. EX EO, & aliàs, nam etsi verum esset dictos principales dictorũ Procuratorum captos fuisse à Iudice incompetente,& ad instantiam partis non legitimè,& aliàs,nulliter aduersus dispositiones forales(quod nullatenus iudicare intendimus,nec ad futuras lites nostrum interponere iudicium) adhuc tamen ad eorum simplicem liberationem,medium habilem à Foris receptum,& permissum desideratur,cum actus humani (& præcipuè iudicium) non solum à voluntate,& potestate,verum etiam à forma,& ordine regulẽtur,vnde quotidie vidimus partibus legitimas,& forales actiones, exceptionesve proponentibus per Iudices respõderi,modis,& formis supplicatis locum non habere.Quia earum iura,& si per se iuridica,ex earum originali iustitia non reijciantur,modus, & tella processus à Foris non admissis,reprobãtur,& reijciuntur,imputet sibi pars habens ostium apertum legis digito demonstratum, inusitatam viam quærens,& à legitimo itinere auerrans,cumq; cognitio nullitatum capturæ ad nos in præsenti tella processus non pertineat,quia manifestationis finis(vt iam inter easdem partes fuit motiuatum,& diffinitiuè decissum)tantum sit assecurare, & in tuto ponere reum, ne aliquod illi grauamen inferatur, non autem eum à carceribus penitus liberare, nec auferre cognitionem ordinariam Iudicis capientis,nec inueniatur Forus disponens expresè,nec tacitè,quod præsens Curia Dñi Iustitiæ Aragonum,in casu de quo agitur cognoscat de nullitatibus, & liberet captum imò inueniantur Fori contrarium satis expresè disponentes, meritò annullationem supplicatam locum non habere decernimus, quia ad reuocandam,vel annullandam sententiam difinitiuam, qua præsens Curia functa fuit officio suo,nullitatem notoriam euidentem, & oculis corporeis in Foris lectam continere debet, aliter namq; si ex quacumq; imaginaria, sed vt verius dicamus voluntaria causa diffinitiuæ sententiæ, & res iudicatæ venirent retractandæ, totius Reipublicæ regimen graue damnum pateretur,& nunquam fines litibus imponeretur in status publici discrimine,& interuersione,quod quantũ à recto rationis tramite distet,quis non videt? & aliàs Attentis content.

SIG ✠ NVM mei Lupercij Iosephi Mezquita in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per vniuersam terram,& dominationem Maiestatis Dñi nostri Regis publici Notarij,ac Secretarij substituti Consilij Curiæ Dñi Iustitiæ Aragonum, qui huiusmodi vota,& motiua à libro motiuorum dicti Cõsilij de Anno præsenti millesimo sexcentesimo trigesimo quinto,vbi continuata existunt fideliter sumpta, & collationata extraxi, in quorum fidem,& testimonium præmissorum meo solito signo signaui, constat de raso,vbi legitur multarum,& de emendato, vbi legitur ostium.